



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Fames corporibus animisq[ue] sanandis idonea.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Seneca, ep. 24.

## XII.

Cic. lib. 4.  
epist. ad Atticum.Erasmi. lib. 4.  
Apotheg.S Hieronym.  
ad Marcellum.  
epist. 54.Sabbato ante  
Dominic. 1.  
quadragesimæ  
in Missa.  
S Basil de  
ieiunio, orat.  
2.

nibus, non ut eos docerem, sed tantum ut placerem. Hæc Augustinus de mendiculo lætante, & ludente, quod ei cibatio mucidi panis voluptaria fuisset; quemadmodum & alijs luxus & luxuria est in cruciamentum. Nam fragili corpusculo nostro, ipsa voluptates in tormenta vertuntur, teste Seneca, *Epula cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremq;: libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes.*

Habemus ergo, famem sitimque corporibus humanis esse necessariam, utilem, atque ita molestam, ut tamen plurimum faciat ad oblectationem cibi & potus percipiendam. Quid quod & corporum vitia sanet, & animorum? Multi sanè crapula distenti, multi fastidio afflicti, non citius redeunt ad sanitatem, quàm si diætâ curentur, ad quam ipse Cicero, cum chirurgiæ tæderet, se convertit. Iulius Cæsar dicere solebat, sibi idem esse consilium aduersus hostem, quod plerisque medicis contra morbos corporum, fame potiùs, quàm ferro superandos. Nam medici, non, nisi tentatis omnibus, ad sectionem descendunt. Hic mos & hodie manet apud Italos: aduersus omne morbi genus indicunt inedia. Naturæ enim proprius calor abundantes consumit humores, vnde morbi existunt. Qua de causa, etiam sanitatis habita ratione, post pigram hiemem, & hibernos menses Nos, ut loquitur S. Hieronymus, *unam quadragesimam, secundam traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus.* Est enim tempus illud animæ corporisque salutis comparandæ, maximè congruum. Vnde Ecclesia ita voluit orari sub initium verni ieiunij: *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & concede: ut hoc solemne ieiunium, quod animis corporibusq; curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus.* Quò etiam alludit D. Basilius, dum ait: *Ieiunium per omne tempus utile est his, qui illud suscipiunt, & c. sed multò magis, hoc tempore, quo per uniuersum terrarum orbem undiq; denuntiatur ieiunij præconiũ.* Multò magis hoc tempore, ait, quia præceptum est eo tempore: quia eo tempore, ad meditandam Christi Redemptoris Passionem & mortem, per ieiunium, præparamur; quia eo tempore ipsum quoque corpus multis superuacuis humoribus, per hiemem collectis, vtiliter ieiunando exinanitur; quia deniq; vernum tempus tenta-

tionibus

tionibus carnis est infestum, Venere tunc, & Cupidine incipiente  
connubia serere, juxta illud Poëtae Vere nubunt alites; magis igitur  
tur caro castiganda, & in freno habenda est.

Atque hinc apparet, auctam è jejunio famem, non solum  
corpori prodesse, sed etiam seruire ad cohibendos intemperantes  
animi motus, & cupiditatis mala domandam rebellionem. Sine  
fame enim jeiunia non sentiremus; nec difficile esset, sine appeti-  
tu cibi aut potus, esse temperantem. Quin & multa aspernare-  
mur, à Deo ad nos alendos condita, nisi ea nobis fames com-  
mendaret, faceretque pretiosa. In quam rem fabula illa extat,  
Delicatus quispiam & gulæ ventrique deditus, cum numquam  
fameret, tantum ea ori admouebat, quæ palato blandiebantur,  
non quæ stomacho erant utilia. Accidit aliquando, ut ad lauti-  
tias epularum, in rus inuitaretur, quod abesset ab vrbe longius.  
Ut ergo aliquando è cibis voluptatem caperet, integramque ad  
conuiuium famem afferret, pridiana cœna abstinuit. Summo  
manè surgit, ne ferus hospes ad amicum veniat. Dum proficisci-  
tur, spe singularum lautitiarum & opiparè instructarum dapum,  
per siluam transit, ibi nocturno vento nimboque deiecta pyra,  
magno numero reperit sub arbore jacentia; quæ ita spreuit, ut  
ea etiam per contemptum lotio aspergeret. Sed, ut saepe consilia  
temerè præcipitata, præsumptio cogit retractare, ita & huic  
euenit. Cum enim riuus, quæ fuerat transeundum, ea nocte, sub-  
itò, ad tantam altitudinem excreuisset, ut cum manifesto vitæ  
discrimine ille se aquas ingressurum intelligeret, impransus lon-  
giore via redire, tristisque coactus est. Itaque post ereptam  
spem copiosi cibi, tam longum jeiunium tolerare insuetus, acer-  
rimè esuriuit. Nullum erat in eo itinere hospitium, ad quod di-  
uertere, nulla domus, in qua latrantem stomachum & talem in-  
juriam ferre non solitum placaret. Itaque cum ad pyra siluestria,  
quæ dudum rore nõ cælesti irrigauerat, venisset, magna auiditate  
collecta deterfaque arrosit; perspicuo documento fastidij & con-  
temptus, cuius mortales iustissimas dant pœnas, dum coguntur  
appetere & amplecti, quæ paulò antè spreuerunt, & abjecerunt.  
Gulosus hic contemptor, ut modestus fieret, & vili apparatu  
disceret esse contentus, non alia re meliùs, quàm fame potuit  
domari.

Catull in  
Pernigil.

XIII.